



MENS ARISTOTELIS
JN PRIMO METEORORUM LIBRO


Ad Veritatis lancem trutinatur

AI

A MICHAELE ANGELO
FARDELLA

DREPANENSI DOCTORE

In Patavino Gymnasio Meteora, & Astronomiam Profitente.



Meteororum libros haud temerè interpretaturus, quid in ijs senserit Aristoteles, quave ratione suffultus, exponam; puriore tamen indagine, quantum Naturæ, atque experimentis assentiatur, exquiram: plura quippe acutissimum illum Veritatis Assertorem latuere, quæ Natura novo experimenti radio illucescente maturiùs evelavit. Ubi itaque Stagyritam Veritatis contubernalem invenire fas erit, libentissimè cum eo persistam; ubi verò fortasse devium intuebor, pedissequum Aristoteli ingenium devovere, sacrum mihi non erit. Philosophus namque tamquam Index universæ Naturæ Codici respondet; at si quandoque, quod indicat Operi non consentiat, Indice posthabito, Codex ipse accuratiore diligentia erit evoluendus. Quod assequar geometrica ab anno elapso instituta Methodo; & Primum Meteororum Librum, textura, quam sequens ordo explicabit, aperiam, & exsolvam.

Ari-

ARistotelica Hypothesis de Mundo ex quinque Corporibus simplicibus, Cœlo videlicet, atq; Elementis compacto accuratè expenditur. In singulis verò Corporibus hisce indiscriminatim pro Meteoris gignendis effluvia, alterationes, ac mutationes deteguntur, quibus & laborare sydera, & inter ea Solem Ignem esse demonstratur.

Inde statuitur Corpus omne sive sensile, sive sensum effugiens perpetuo effluvio, & propria Atmosphœra pollere, in qua quodque sua peculiaria Meteora procreare non desinat.

Pro firmanda Evaporatione, Corporis notitia Analyticè exquiritur, primum, & radicale eius attributum indagando, à quo cætera profluant.

Oritur hic occasio divisibilitatem Materiæ; Universique plenitudinem pro mente Aristotelis acriter sustinendi; spatiola inania, seu Vacuum disseminatum Gassendi, Borellij, atque Neutonij, necnon individuas Democriti atomos expugnandi.

Unde innotescet, Corpus nunquam propriè Unum esse, sed suapte natura multiplex; solidasque atomos ab evaporatione, atque effluvio abhorrentes in Universo repugnare.

Detecto Corporis attributo primo, & radicali, patebit effluvium, eiusque in partes subtiliores expiratio.

Ad claram Mentis aciem accurret Immensum Corpus Mundi, accedente motu locali, in subtilissimas particulas effractum, à prima sui constitutione, atque origine fluidum: ex qua fluiditate localis omnis motus gignitur, atque in cætera corpora distribuitur.

Cuius motus singulæ leges ad arcana Meteororum Principia eruenda soliciè tradentur.

Ideoque Corpora solida à Materia fluida originem trahere, perpetuoque recursu volatilia in fixa, & vice versa Fixa in volatilia reverti, clarum erit

Qua

Qua perdurante recursione, Corporum particulæ diversimode modificantur, & configurantur; indeque inter eas emergit Rarum, Densum, Luminosum, Diaphanum, Opacum.

Ad eumque modum singula Elementa exoriuntur, atque efformantur.

Inibi abstrusiora Problemata circà Ignis, Aeris, Aquæ, atque Telluris naturam: circà Salium, Sulphurum, Mercurij, aliorumque fossilium proprietates enixis viribus persolventur. Ibi de Alchali, & Acido, pluriumque Aquarum solventium, fermentorumque speciebus non incuriosa quædam agitabuntur.

Proinde ad Elementa redeundo, nulla inter ipsa, & sydera substantialem differentiam intercedere, ad sensum usque deducetur.

Intereà ex Mundano Corpore effluente fluidissima, ac tenuissima quædam substantia exprimitur, varium apud Authores nomen sortita, quippe a Cartesio Materia subtilis, Æther ab Aristotele, Anima ac Mundi Spiritus à Platone, Archæus Universi, & Menstruum universale à Spargiricis nuncupatur.

Eius naturam, atque vim singula corpora solventem luculenter evincemus.

Infringenda namque plurium Recentiorum opinio, quibus Ætherem esse Fluidum continuum, compressionis, rarefactionis, cuiusque alterationis expers constanter arrisit.

Et sustinenda potiùs sententia, quæ Illum esse demonstrat Fluidum discretum ex infinitis partibus distinctis constans, alterationibus obnoxium, quod proinde in fixa, atque solida Corpora incessanter convertatur, & ex quocumque Corpore extrahatur.

Hinc eius efficaciæ, & elaterij beneficio natura Fermenta-

tatio-

rationis exponetur; ex qua Corporum evaporatio, & effluvium necesse est consequantur.

Et inde occasione arrepta de natura, efficacia, & subtilitate effluviorum diſertè agendum; ubi insigniora Problemata pro Magneticis, Sympathicis, ac Morbosis effluvijs erunt enodanda.

Effluvijs hisce in medium sine ulla oppositione vagantibus proximam singulorum Meteororum materiam habebimus, & rationem, qua in suprema Aeris regione, juxtà mentem Aristotelis, Meteorica Corpora efformantur: eamque Chimiæ operationibus, atque Mathematicorum machinis consentaneam ostendemus.

Quoniam verò in eiusmodi Meteoris colorum ludos inspectamus, ad luminis refractionem, atque abditissimam colorum causam sermo vertetur.

Miros Cometarum ortus, passionesquè perscrutabimur; & quæ de cælestibus Com tis è solaribus maculis fabrefactis nostra erit sententia, invicta disputatione proferetur.

Obtutum deinde, cum Peripatetico descendentes, ad Pluviam, Nubes, Grandinem, Nivemque convertemus, amænissima quæque de ijs inquirendo; ibique Glaciem, & Aquæ coagulationem non frigidè tractabimus.

Rivos tandem meteoricos Primi Libri cum Aristotele claudemus, Fontium, & Fluminum, originem detegentes.

Incidet sermo de Diluvio.

Præcellentia Hydrostaticæ Problemata ad fluidorum pondus, æquilibrium, & elaterium spectantia solvemus; atque (quod Physico-Mathematicum decet) Aquarum fluentium mensura accuratiùs inventa tradetur.

Anno ab Orbe redempto 1694. & 1695.

